



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Hominum exemplo Deum ad auaritiam plectendam inuitari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Respondet ibidem: *A minore quippe usque ad maiorem omnes auaritia student: & à Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Appetuntur opes ardentissima siti, ad explendas ferè voluptates, aut ad diuitiarum iactantiam, hinc meritò subducuntur, tamquã ligna incendijs. *Argentum eorum foras proicietur, ait apud Ezechielem Deus, & aurum eorum in sterquilinum erit. Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos, in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur: quia scandalum iniquitatis eorum factum est. Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum, & simulachrorum fecerunt ex eo: propter hoc dedi eis illud in immunditiã: & dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, & impijs terra in prædam, & contaminabunt illud.* Impij vocantur hostes, quia, etsi apud eos non sit moderatior amor habendi, sed multò flagrantior, vult suos Deus aliena auaritia castigare: vt dum aliorum violentata lamentantur cupiditatem, suam quoque agnoscant. Diripit eos hostis, quia fortior; at & ipsi pauperes diripuerunt, quia fortiores fuerunt. Amittunt iure, quod iniuria acquisuerunt. Venatio leonis onager in silua, sic pascua diuitum sunt pauperes. *Sedet in insidijs, cum diuitibus, in occultis, vt interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur, vt rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum. Segetes & mesles, labores & sudores pauperum, præda sunt diuitum. Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliuiscaris pauperum. Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor. Neque enim quibus cælum promisit, eorum prædones dimittet impunitos. Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos. Dominus ad iudicium veniet, cum senibus populi sui, & principibus eius: Vos enim depasti estis vineam, & rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum?*

Hoc æquum esse, sapienter Metellus Numidicus, in censura, populo demonstrauit his verbis: *Dij immortales plurimum possunt, sed non plus velle debent nobis, quam parentes; si pergunt liberi errare, bonis exheredant. Quid ergo nos à dijs immortalibus diutiùs expectemus, nisi malis rationibus finem facimus? Iisdem deos propitios esse aquũ*

Ezech! 7.19.

Psal. 9. 30.

Isa. 3. 13.

IV.
A Gellius l. 1.
Noct. c. 6.

est, qui sibi aduersarij non sunt. Qui ergo opibus, quas à Superis habent, Superos offendunt, digni utique sunt, ut exheredentur. L. Sylla, victo ad Chæroneam Archelao Mithridatis duce, Thebanos, qui cum Mithridate fecerant, dimidio agri multauit. Et passim Romæ, qui pro criminibus grauioribus supplicio censebantur afficiendi, illorum quoque bona, ob criminis detestatione, publicata fuerunt. Sic domini supplicium, bonorum publicatio sequebatur. Vnde, Tarquinio rege eiecto, ager, qui Tarquiniorum quondam fuerat, Marti dicatus, *Campus Martius* dictus est. C. Cassij domus, cui ob affectati regni crimen dies perduellionis dicta fuit, euersa, area ante Telluris ædem facta est. Domus præterea M. Manlij Capitolini, quæ quondam in arce fuerat, qui suspicionem regni poenas dedit de saxo deiectus, ædes atque officina Monetæ fuit. Cùm Marcellus quidam nequam & criminofus, qui in ganea & lustris vitam egerat, propter latrocinia sordesque vitæ, capitali supplicio poenas dedisset, bonis publicatis, in ipsius domo ab Emilio & Fulvio censoribus macellum, vbi obsonia venderentur locum extractum ferunt. P. Clodius Tribunus plebis Ciceroni in voluntarium exilium fugienti aqua & igni interdixit, eoque exterminato, villas eius incendit, domum incremavit, & aræ ædem Libertatis inædificauit, reliqua bona hastæ subiecit, quæ quotidie proclamauit. Themistoclem, ut supra memini, cùm in adolescentia minùs probatis moribus esset, proprij parentes exheredarunt. Hoc homines faciunt: hoc faciunt parentes: quia & domini, qui ignauis seruis, & duces, qui militibus fugitiuis stipendium subducunt. Et Deus parcat, cùm videt eos, quos omnibus bonis circumuallauit, tam improbos & ingratos, iniustitiaq; plenos? immò ipsis bonis in malum abutentes?

V.

Apud mortales sanè opulenti, licet maximè rei, plerumq; euadunt, vel quia iudices pecunia corrumpit, vel quia terret auctoritas; & certè, *si possibile esset in diuites vindicta procedere, videres ex eis repleri carceres vniuersos*, ait S. Chryostomus, *sed cum omnibus malis suis hoc malum habent diuitia, quòd in malignitate peccantes ab ultionibus eruant.* Apud omnipotentem autem iudicem, quem nihil latet, nihil terret, nulli diuites effugiunt poenā quam meruerunt. *Peccatores persequitur malum: & iustis retribuentur bona.* Bonus relinquit

Plutarch. in Syll.

Idem in Poplicola.

Alex. l. 3 c. 23.

Plutarch. in Cicer.

Prob. in Themistocle.

S. Chryst. in ep. ad Hebr. serm. 2.

Prou. 13. 21.